



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

112. Dominica Palmarum. Decem notabilia, quæ in educatione Christi contigerunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

MEDITATIO CXII.

Dominica Palmarum.

*Decem notabilia, quæ in eductione
Christi contigerunt.*

Videbo Dominum in exitu ad Calvarium
verosimiliter sic vexatum, ut sufficeret
ad occidendum quemlibet. Petam agnosce-
re, quæ Christus tunc passus sit, & fructum ex
singulis capere.

Aspiciam 1. Quomodo Christus exutus
vestibus alienis, non sine corporis nova exul-
ceratione, indutus sit veste propriâ, ut ab o-
mnibus in via meliùs agnosceretur. *Non po-
test qui pati timet, ejus esse, qui passus est.* Tertul.
in c. 22. Matth.

Aspiciam 2. Quomodo corona non sit
adempta, sicuti chlamys, ut notat Cyprianus,
& verisimile est altiùs impressâ fuisse. S. Bern.
serm. 43. in Cant. *Pro certo videntes angustias
Domini levius vestras portabitis.*

Aspic. 3. Quomodo ipse sibi crucem ba-
julaverit: Hanc enim ferre militibus non
libuit, iudæis autem maledictio fuit, Deut.
21. Sicut ergo furibus funis, sic Christo crux
imposita. Origenes ait, quod primò prope
locum, ubi erat suspendendus, crucem Simo-
ni imposuerint. Beatus, qui facultatibus o-
mnibus, copijsque suis Christum emit, ac pro
omni-

omnibus opibus crucem habet, eamque sub
limiter gestat. D. Nazianz.

Aspic. 4. Quomodo extra civitatem du-
ctus ad locum infamem, & foetidum: Erat
enim hoc sacrificium alterius generis, quam
Hierosolymis offerri solita. Martyribus non
deest dolor, sed pro Christo contemnitur. Pe-
trus Bles. in Job.

Aspic. 5. Quomodo hæc Passio contige-
rit Christo tempore Paschatis, confluentem
orbe toto, & spectante. 8. Cypri. de Mart. Con-
tēnenda tibi mors est, ubi Christi occisus est.

Aspic. 6. Quod cum latronibus & inter
eos eductus sit. Theophyl. hic ait: Curabat
Diabolus de Christo malam haberi opinio-
nem. Tollat quisque onus suum, & fortiores
partes onerum alienorum, ut aut nihil por-
tet Dominus, aut levis portet.

Aspic. 7. Quomodo se vetet doleri, & fle-
ri, quasi solum peccatum flendum. Ideo omnia
mala pati voluit, ut consolaretur patientes. Aug.
in Psalm. 101.

Aspic. 8. Quomodo dabant ei bibere myr-
rhatum vinum, & non accepit. Marc. 15. Quod
nollet solatia, & Matt. 27. Dederunt ei vinum
bibere eum felle mixtum, & cum gustasset noluit
bibere. Deprecabatur poculum nos instruens,
in pericula non insiliendum esse, sed adven-
tantia fortiter esse suscipienda, S. Cæs. Dial.

3. Dixit

Feria 2. Dom. Palmarum. 193

3. Dixit S. Gertrudi Dominus, se ideo non bibisse, ne citius moreretur: a deo pati voluit!

Aspic. 9. Quomodo vultum Veronicæ impressum reliquerit, faciem non gloriæ, sed doloris, quã imitemur, ut postea gloriemur.

Aspic. 10. Quomodo vestibus more reorum crucifigendorũ spoliatus: de qua ignominia ipse Psalm. 43. conqueritur D. Ambr. interprete *Tota die confusio mea contra me est: Que autem confusio, nisi crux, quod nudus pependit in ea* Cũ ideo se exinanierit, ut indueret nos se ipso: Adaptabo me, ut Christo induar in SS. Eucharistia. *Hæc est Dei ad nos exinanitio, ut admittamur ad capiendum eum, inquit Dionys. Alexan. Epist. ad Paul. Samosat.*

MEDITATIO CXIII.

Feria 2. Dominicæ Palmar.

Septem prima notabilia in Crucifixione Christi.

Aspiciam Dominum meum horam inter meridianam, inspectantibus cœlo & terrã in crucem actum. Petam agnoscere extremos Christi dolores, & fructũ ex ijs colligere.

Conf. 1. Cũ sine veste crucifigerentur rei, quomodo Dominus meus sponte (ut ait D. Athan. de cruce) exuerit vestimenta sua, & sive humi, sive sublimis cruci fuerit affixus, in cœlum suspiciens ac Deo gratias agens